

verbis totius Platonis hoc: τοῦ δεινός, quod illi discipulus affingit, ut locum habeat eius cavillus: sed sunt inter Platonis verba haec:²² *Omniū ergo civitatum maxime in ipsa concordabunt, uno aliquo vel bene vel male agente, quod modo dicebamus verbum pronuntiantes, quod meus bene agit vel quod meus male.*

Neque est, uti dixi, apud Platonem τοῦ δεινός, *illius*, cuius insertione Aristoteles huic loco fucum fecit. Sed cum omnes cives dicant, meus filius bene agit, omnes laetantur; rursus cum omnes dicant, meus filius male agit, dolent omnes atque ita fit:²³
 10 *In hoc autem comunicantes doloris sane ac voluptatis maxime communionem habebunt.* Atque ita non omnes ὀλιγορήσουσι, *negligent*, sed omnes φροντίσουσι, *curam gerent*, non coacte, sed libenter, cum ita a tenellis fuerint educati a progymnastis, praesidibus, legibus, magistratibus etiam, si opus fuerit, coacti, nec refert.²⁴
 15 *Obscurum enim cui contigit nasci filium vel salvum esse postquam sit genitus.* Neque enim id refert et unus prae omnibus vehementer vel doleat vel laetetur, ubi omnes aequaliter tanquam veri patres et laetentur et doleant et curam gerant.

Quare nullum habet locum dubitatio, quae sequitur:²⁵ *Et utrum ita melius est dicere meum unumquemque, vel potius ut nunc in civitatibus dicunt.* Quis enim dubitat praestantius atque optabilius esse plures habere, qui paternam curam de se gerant, quam unum? Neque est:²⁶ *Praestantius est proprium nepotem esse, quam hoc modo filium.* Nam in quo ista praestantia sit non indicat.

25 Quod autem annectit non posse esse, ut per similitudines, quas filii cum parentibus habent, ut aliqui filios proprios non

²² Πασῶν ἄρα πόλεων μάλιστα ἐν αὐτῇ ξυμφωνήσουσιν ἐνός τινος ἢ εὖ ἢ κακῶς πράττοντος ὃ νυνδὴ ἐλέγομεν τὸ ῥῆμα, τὸ ὅτι τὸ ἐμὸν εὖ πράττει ἢ ὅτι τὸ ἐμὸν κακῶς. [PLATO, R. 463.e.3 – 5]

²³ τούτου δὲ κοινωνοῦντες οὕτω δὴ λύπης τε καὶ ἡδονῆς μάλιστα κοινωνίαν ἔξουσιν; [PLATO, R. 464.a.5 – 6]

²⁴ ἄδηλον γὰρ ᾧ συνέβη γενέσθαι τέκνον καὶ σωθῆναι γενόμενον. [ARIST. Pol. 1262a.5 – 6]

²⁵ καίτοι πότερον οὕτω κρεῖττον τὸ ἐμὸν λέγειν ἕκαστον, {τὸ αὐτὸ μὲν προσαγορεύοντας δισχιλίων καὶ μυρίων}, ἢ μᾶλλον ὡς νῦν ἐν ταῖς πόλεσι {τὸ ἐμὸν} λέγουσιν; [ARIST. Pol. 1262a.6 – 9]

²⁶ κρεῖττον {γὰρ} ἴδιον ἀνεψιὸν εἶναι ἢ τὸν τρόπον τοῦτον υἱόν. [ARIST. Pol. 1262a.13 – 14]